

seu Rectoribus suis, pro suis Feudis, siue Cavallarijs, cum equis sufficientibus, & aptis ad arma, qui placeant Rectoribus supradictis, & est dignum.

VIII. Item, quod Rectores, & Officiales, et qui per tempora erunt, quocumque nomine nuncupentur, siue aliqui de sua familia, nullo modo, vel ingenio gravare audeant, vel presumant ciues Corphoi, in capiendis eis violentè barcas, lectos, vel alia bona; & similiter nullo modo, eis nolentibus, accipere debeant carnes, pisces, fructus, pullos, frumentum, vel ordeum, siue alias res eorum; sed in solitis locis, & consuetis, cum pecunia sua, emant, vel emi faciant omnia ad vitam suam necessaria, et opportuna, secundum usum, et consuetudines, et statuta Patrie, pro usu tantum eorum, et non plus prout faciunt alie personae extraneae, et communes, volentibus ipsis Corphiensibus vendere, ut est dictum: verum si vendere noluerint, nullo modo cogi possint à Rectoribus, vel Officialibus supradictis, vel alio de familijs suis.

IX. Item, quod Rectores, et Officiales praedicti, tam qui ad praesens sunt, quam qui erunt temporibus futuris, nullo modo per se, vel per alios, cogere possint piscatores ad piscandum pro eis, vel ad vendendum sibi suos pisces, sed debeant ab eis pisces emere pro usu suo, et familiae suae praedictae, pretio competente secundum ordines Patrie, et ad loca solita, ut emunt, et speciales personae.

X. Item, quod factis vendemijs, mensura, qua venditur vinum novum tabernijs Civitatis Corphoi, debeat de mense Octobris, bullari signo, seu bulla, quae ordinabitur per Rectores, recipiendo de bulla praedicta quantum est antiquitus consuetum: sed si videbitur ipsis Rectoribus, ad evitandas fraudes, quae committi possint, ipsam mensuram bullari facere plus quam semel